



**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

Conversio S. Avgvstini. 5. Maii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](#)

## CONVERSIO S. AVGVSTINI.

5. Maii.

Hoc die Monicæ lacrimæ AVGVSTINVM orbi secundùm peperrant; nam hoc Manichæorum erroribus se demum expedivit. Ad id plurimum, ut dixeramus, momenti mater attulit, quæ filium pessum cuntem ex Africâ in Italiam usq; secuta lacrimis, pro ejus salute tantum non exoculavit sese. Monstravit certè parentibus, quām parum sit filium mundo peperisse, nisi in spem cali educetur. Iam duo illi ex Imperatoris aulâ, qui lectâ Magni Antonii vitâ, nuntium mundo remiserant, tantum apud AVGVSTINVM potuerunt, ut exclamaret: *quid hoc? quid audiisti? surgunt indocti & calum rapiunt & nos cum doctrinis nostris voluntamur in carne & sanguine?* Sub hæc luctanti cum animo suo in conspectum se castitas dedit, ingenti omnium ordinum ac ætatum coronâ cincta, digitoque nunc senes aut viros, nunc pueros aut pueras signans, &c tu, ajebat, non poteris quod isti aut istæ? mox è cælo etiâ vox istiusmodi allapsa: *tolle, lege, Sustulit ille,* legitque: *non in comedationibus & ebrietatibus, nō in cubilibus & impudicitiis, nō in contentione & emulatione: sed induimini IESVM CHRISTVM.* Legit inquam hæc, & ex Manichæo Catholi-

cus,

MAII. *Vita Sanctorum.* 255  
cus, ex Rhetore Ecclesiæ Doctor, ex  
mundi amatore summo summus con-  
temptor evasit. At nos qui eadem &  
audimus & legimus, moras moris ne-  
cessimus, dicitque è cælo nobis ipse Di-  
vus, quæ sibi olim dicebat: *an quia p̄-  
cesserunt, pudet sequi? & non pudet nee  
faltē sequi?* Ex ipsius D. Aug. Confess.

S. ANGELVS CARMELITA.

5.Maii.

R osam è spinis habe, ANGELVM,  
inquam, è parente utroque Iudæo  
Ierosolymis natum. Sed quid dico? ipsa  
hæ spinæ in rosas abierunt, cùm Cæli  
REGINA Magistram his in fide se-  
præbuit, geminamque illis prolem  
Ioannem Patriarcham, ANGELVMq;  
nostrum Martyrem est vaticinata. Ergo  
cùm ad templum Christianorum se-  
recepissent, ibique in sublimi hostiâ ta-  
lem Christum, qualis olim à cruce  
pendebat, non dubiis jam oculis vidis-  
sent, Christo geniti Ioannem primū,  
tum ANGELVM genuerunt. Hic al-  
tioris vitæ rudimenta in monte posuit  
Carmelo, qui & nomen illi dedit. Ab-  
hinc in seipsum primò, deinde in  
eremum descendit, ubi cùm solum  
se crederet, adesse sibi vidi IESVM,  
multo maximo SS. agmine stipatum,  
& jubentem, victorias suas Alexan-  
driam ferret, inde ad palmā in Siciliam

con-